

viat, formosam ut placeat, et pudicam ne te fallat. »

(78. Uxorem pecuniosam si quis pauper duxit, non uxorem, sed dominam habet, cujus est famulus et servus. Strobulus apud P. Casali., loc. cit., decad. 13, argut. 7.

(79. Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quæritis? Uxori nubere volo meæ. Inferior matrona suo sit, Prisce, marito. Non aliter fuerint femina, virque pares. (P. Casali., loco cit., decad. 13, argut. 7.)

(80. Ad rem. Vide verb. ALIMENTA; verb. ADULTERIUM; verb. BONA; verb. CONJUGES; verb. MATRIMONIUM quoad debitum conjugale; verb. DIVORTIUM; verb. FEMINA; verb. DOS; verb. DOMINIUM; verb. HÆRETICUS; verb. MATRIMONIUM quoad impedimenta; verb. MARITUS; verb. MATER; verb. MATRIMONIUM; verb. NECESSITAS; verb. PATER; verb. POLYGAMIA.

(81. Adam, Sampsonem, Petrum, Davidem, Salomonem Decepit mulier, quis modo tutus erit?

(82. Mulier stупpa est, et homo titio; accedit diabolus, et uterque comburitur.

(83. Femina velut gutta nigra, corrumpit albam masculorum: sac. Rota, in Imolen. Fideicommissi 21 Martii 1729, § Denique, coram Ratto.

(84. Sola viro mulier spoliis exultat adeptis, Sola locat corpus, sola locanda venit.

(85. Absque femina si mundus stare posset, nostra conversatio non esset sine diis. Cicero secutus a Capon., controvers. 58, in princip.

(86. Ad dignoscendum viros a mulieribus servatis, optimum adducit modum ex Salomone Korman., De virg. jur., c. 139, faciendi scilicet abluere faciem ab utrisque: femina siquidem molliter ac delicate vultus suos fricant; secus autem masculi.

(87. Uxorem ducens dicitur navigare: c. Nos novimus 2, caus. 17, q. 2, ubi Glossa verb. Navigasti, ait: « Sicut navigans subjicit se variis periculis, nec proprio motu regitur, sed ventis; sic ducens uxorem. »

(88. Uxor minori miseria deformis habetur, quam formosa servetur. S. Hieronymus relatus, et secutus a Nevizan., in Silva nuptiar., lib. II, num. 94. Unde poeta:

(89. Egre formosam poteris servare puellam: Nunc prece, nunc auro forma petita ruit. Femina molle genus, turpes proclivis ad actus, Ni vir sit custos, ni pudor, atque metus.

(90. Femina suum retinet morem, semper hominem expellit e paradiso. Card. Bona in Manuct. ad cælum, cap. 5, § 3.

(91. Feminas videre malum est, alloqui pejus, tangere pessimum. S. Augustinus apud Ursayam, loc. cit., num. 128.

(92. Femina vox in hominibus solet esse mali hominis indicium, ex animadversis per Farinac., qu. 116, n. 170, ubi monet cavendum esse ab ipsis, quia ipse non semel, sed pluries ab hujus qualitatis hominibus

fuit proditus. Ego tamen cum Laym., t. I, cap. 2, § 5 in fine, crederem id non esse generaliter verum, sed neque etiam generaliter falsum.

(93. Uxor, quando est pulchra, aufert nomen domus marito, quia dicitur: Eamus ad domum dominae Tenerinæ, non autem ad domum domini Bonhomi ejus mariti: ut observat Nevizan., in Silva nupt., lib. II, verb. Diviti non est nubendum, n. 86, et Ursaya, Institut. crimin., lib. IV, tit. 1, n. 85.

(94. Uxor eximens maritum de manu curiæ, et maritus uxorem, non dicitur committere crimen læsæ majestatis; unde debet puniri sola pœna extraordinaria; Conciol., Allegat. forens. 87, per tot.; Guazzin., De defens. reorum, defens. 5; Ursaya, loco cit., l. II, tit. 1, n. 136 et seq.

(95. Privilegia mulierum inhonestarum referuntur ab Ursaya, loco cit., lib. II, tit. 7, n. 18; Laym., t. II, cap. 20, § 1, n. 21 et seq., et secretaria Apollinis, fol. 436, ac si eisdem ab eodem Apolline concessa essent, cum sequentibus verbis: « Abbiamo determinato di concedervi alcuni privilegi, i quali agevolando le vostre fatiche, potranno rendere men fallaci le vostre arti, e sono questi, di poter rubare senza obbligo di restituzione; di fingere; dissimulare; di non dir mai la verità; di godere senza amare; di piangere quando volete; di trasformarvi quando vi pare; di chiedere senza discrezione; di togliere senza pietà; di celare l'odio sotto le lusinghe, di strapazzare i vostri amanti; e finalmente di vendicarvi insensibilmente dell'ingiurie, che vi fanno, facendoli restar pelati nella testa, e nella borsa nel termine di quaranta giorni. »

(96. De quibus præsertim verificatur celebre alphabetum sancti Antonini archiepiscopi Florentini in III part., tit. 1, cap. 24, id est Avidum animal, Bestiale baratrum, Concupiscentia carnis, Damnosum duellum, Æstuans æstus, Falsa fides, Garrulum guttur, Herinnis armata, Invidiosus ignis, calumniarum Kaos, Lepida lues, Monstruosum mendacium, Naufragii nutrix, Opifex odii, Prima peccatrix, Quietis quassatio, Ruina regnorum, Silva superbiæ, Truculenta tyrannis, Vanitas vanitatum, Xantia Xerxis, Ydolorum imago, Zelus zelotypus.

(97. Multæ tamen sunt honestarum mulierum prærogativæ: quamvis enim, ut habetur in annotatione ad dec. 434, num. 43 et seq., Rota recent., part. IV, tom. II, et apud Ursayam, Institut. crimin., lib. IV, tit. 1, a n. 20; Jodocus Damboud., in tractat. comm. tit. M, vers. Mulier philosopha, testetur se ad hoc, ut aliquid diceret in honorem feminarum, revolvisse omnes juris civilis textus, ad effectum repertiendi, si in eis fieret mentio de aliqua muliere bona, et incidisse in textum incipientem: Mulier bona 72, ff. De jur. dot., quem diligenter inspiciendo, reperisse verbum bona non esse casus nominativi, sed accusativi, dicendo: « Mulier bona sua omnia in dotem dedidit; » et sic in toto corpore juris civilis mulierem

bonam invenire non valuisse; invenisset tamen, et quidem copiose in sacra Scriptura, et in jure canonico, si ulterius quæsisset, ut videre est in Eccli. xxv, 1, 3, 18 et 24; et xxxvi, 26; et apud D. Paulum I Cor. vii, 14; et in canon. Quod autem 1, caus. 28, quæst. 1, et alibi. Unde merito advertit Nevizan., in Silva nupt., lib. IV, sub n. 95, mulieres multas habere prærogativas, quæ copiosius scriptæ reperirentur, si ipsæ scriberent, ut faciunt viri, ad quem effectum applicari potest lepidum dictum illius philosophi, qui teste de Rub., in Addit. ad dec. 344, n. 54, part. IV, tom. II, Rota recent., observando in magna tabula depictos multos leones ab hominibus dilaceratos, prorupit in hæc verba: Oh, si leones pingere scirent! De quibus selectissimis, et laude dignissimis mulieribus late agit Zaul., tom. I, rub. 16, n. 58 et seq. et latius le Moyne, in lib. cui titulus: La galleria delle donne forti, Mutinæ impresso anno 1701; et prius per auctorem Gallice typis dato. Vide etiam Chrystophorum Bronzini, in tract. Della dignità delle donne, anno 1624 impresso Florentiæ, ubi suis pro eximiis excellentiis ac prærogativis merito usque ad sidera extolluntur.

(98. Uxorem ducendi curiosus et scandalosus modus in regno Congi indicatur, et refertur a Patre Joanne Francisco Romano Capuccino in libro, cui titulus: Breve relazione del successo della missione nel regno del Congo, impresso anno 1648 in typographia sacrae congregationis de Propaganda fide c. 9, di alcune usanze molto dannevoli, che ritengono i naturali di Congo fol. mihi 77, sequentibus verbis: « Una di dette male usanze, che sono in quei popoli, e che quando si vogliono accasare, pigliano le moglie a prova. Va un giovine dimandarla figlia al padre, ed alla madre con pretesto di volerla pigliare per moglie, e dargli la dote che li conviene, essendochè tra essi è questo costume, che il marito dà la dote alla moglie, e non il padre, e la madre; essi gliela consegnano molto di buona voglia, ed il giovine la conduce a casa sua, e dopo averla tenuta due, o tre anni, se gli piace, e si confà col suo umore, si accasa con essa; quandochè, la rimanda a casa di suo padre: e la medesima libertà ha la donna con quello, che la piglia, che se non li gusta d'accasarsi con esso lui, se ne può ritornare a suo piacere alla casa paterna. Questa usanza sì pernicioso è difficilissima da levarsi, perchè dicono essi: Ho io da obbligarmi a stare tutto il tempo della vita mia con Donna, che non conosca qual sia, e di che condizione? È vero, che mi posso informare, e da parenti, o da altre persone, che conoscono la giovine, ma essi mi possono ingannare, dicendomi una cosa per un'altra, a fine, che la prenda per moglie; e per tanto senza tal esperienza piuttosto non voglio accasarmi, che ponerli a rischio di avere un continuo inferno in mia vita. Da questa usanza sì pernicioso ne siegue, che la giovine in tal modo ripudiata, ordinariamente

non trova più chi la voglia prender per moglie, e i figli nati da essa vanno come bastardi dispersi quà, e là, senza veruna educazione. Di più ne siegue, che stanno gli anni, e anni in stato di concubinato, poiché il marito dovendo dare la dote alla moglie, non si può indurre a questo passo, ma va sempre procrastinando di anno in anno, ed a perseverare in quel cattivo stato talvolta 25 e 30 anni. » Hæc ille, ut refert Ursaya, Institut. crim., lib. IV, tit. 4, n. 173.

(99. Uxor in potestate mariti est juxta legem Moysi. Bened. XIV, tom. II, constit. 2, tit. 28, incip. Postremo mense, § 59.

(100. Ideo maritus a Judaismo ad Ecclesiæ fidem conversus, eam ad baptismum offerre potest. Idem, ibid. Vide tom. III, verb. HEBRÆUS, ubi multa ad rem; et verb. GRÆCI.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. Vide Additiones ad verb. FEMINA. Cæterum quæ auctor a n. 66 ad 98, adducit, insulsa, ridicula, et religioso viro prorsus sunt indigna.

RESPONSIO AUCTORIS.

(102. Attamen, quæ hic tanquam insulsa, ridicula, et religioso viro prorsus indigna traducuntur, ea a sapientissimis, gravissimis et religiosissimis desumpta auctoribus in rem meam derivavi. Quæ enim tradidi a n. 66 ad 70, accepi jam tradita a celeberrimo Ursaya causarum tum civilium, tum canonicarum, seu ecclesiasticarum, ac religiosarum patrono, et Romæ, ac alibi absque ulla censura pluries edita, probata, et approbata ab omnibus, ad quos spectat. Quæ, n. 71, a S. Hieronymo relat. in canone Sicut crudelis 32, q. 1. Quæ n. 72, 73, a dicto D. Ursaya, et Philippid. Quæ n. 74 et 75, a P. Casali., religiosissimo viro. Quæ n. 76, habentur expresse in sacra Scriptura, Tobia x, 13. Quæ n. 77, 78, 79, a dicto P. Casali., allegante ad id respective Demosthenem et Strobulum. Quæ a n. 80, a citatis in allegatis ibi respective titulis. Quæ n. 81, 82, a dicto D. advocato Ursaya. Quæ n. 83, a sacra Rota Romana in Imolen., fideicommissi, 28 Martii 1729. Quæ, n. 84, ab allegato Ursaya. Quæ n. 85, a Cicerone secuto a Capon., controvers. 58, in princip. Quæ n. 86, ex Salomone apud Korman., De virg. jur., cap. 189. Quæ n. 87, ex canone Nos novimus 2, caus. 17, q. 2, et ibi Glossa, verb. Navigasti. Quæ n. 88, ex S. Hieronymo relat. et secuto a Nevizan., in Silva nuptiar., lib. II, cap. 94. Unde canit poeta, ut ibi, n. 89. Quæ n. 90, ex cardinal. Bona piissimo religioso in Manuct. ad cælum, cap. 5, § 3, in fine. Quæ, n. 91, ex S. Augustino, allegat. ab Ursaya, loco cit., n. 128. Quæ n. 92, ex Farinac., qu. 116, n. 170; et Laym., tom. I, cap. 2, § 5, in fine. Quæ n. 93, ex Nevizan., in Silva nuptiarum, lib. II, n. 86, et Ursaya Institut. crimin., lib. IV, tit. 1, n. 85. Quæ n. 94, ex Conciol., Allegat. forens. 87 per tot.; Guazzin., Ad defens. 5, cap. 5; Ursaya, loco cit., lib. II, tit. 1, n. 136 et seq. Quæ n. 95, ex Laym., tom. III, cap. 20, § 1, n. 21 et seq.; Ursaya, loco cit., lib. II, tit. 7.

n. 18; et secretaria Apollinis, fol. 436. Quæ n. 96, ex S. Antonino clarissimo lumine præclarissimi ordinis Prædicatorum in iii part., tit. 1, cap. 24. Quæ n. 97, ex *Adnotat. ad decis.* 431, n. 43 et seq. Rotæ Romanæ recentior., part. iv, tom. II; Ursaya, lib. iv, tit. 1, a n. 20; Judoco Damboud, in *tract. Loc. comm.*, litt. M, vers. *Mulier philosopha.* Ex *Ecclesiastico*, cap. xxv, n. 1, 3, 18, 21, et cap. xxxvi, n. 26. Ex Apost., *I Cor.*, cap. vii, n. 14; et ex canon. *Quod autem 1*, caus. 28, q. 1. Quæ n. 98, ex relatione Patris Joannis Francisci Romani Capuccini in libro, cui titulus: *Breve relazione del successo della Missione nel regno del Congo*, impresso in typographia sacre congregationis de Propaganda fide, cap. 9. Quæ sacra congregatio certe non permisisset talis libri editionem, si insulsa, ridicula, et religioso viro indigna commenta continuisset. Patent itaque fontes, unde hausi doctrinas, *locis citatis*, ab additore improbas; hi sunt: S. Scriptura, SS. canones, sac. Rota Romana, SS. Patres, religiosissimi auctores, selectissimi jurisperi, et liber impressus in typographia sac. congregationis de Propaganda fide Ad hæc, quid de oppositoribus esset mihi dicendum? Nihil aliud dicam ego, quam ut a Deo benedictionibus replentur.

(103. Quantum ad reliquas varias aias probabilismum respicientes, et censura notatas propositiones, non est, quod in his nec tantisper immorer, nec quid modicum proferam, cum tot eximii, et præstantissimi auctores, omni exceptione majores de illis hinc inde, pro, et contra tot volumina ediderint, ut fere totus repletus sit orbis. Eo vel maxime quod ego non sim secutus, nisi illas opiniones probabiles, quæ sunt vere, et solide tales fultæ gravi et prudenti pondere rationis, et auctoritatis; et in pluribus illas solummodo sim amplexus, quæ mihi videbantur nedum vere probabiles, sed etiam probabiliore, ac quædam veluti certæ, ut totum meum opus integre ex omni parte, et attente, juxta pro similibus tradita a Benedicto XIV in constitutione: *Sollicita ac provida*, § 18, percurrenti, et scrutanti satis superque patet. Unde laudatus perennis memoriæ Benedictus XIV, in dicta constitut. *Sollicita, ac provida*, § 17, ad nostrum intentum sic tradit: « Hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus sine ullo fidei, aut religionis detrimento ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente, et permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis (N. B.) gradu relinquit. » Et idem sapientissimus Pontifex in *Præfatione* tom. I *De synodo diœcesana*, § Porro, sic præcise addit: « Porro in novissimis hisce additionibus usitam semper nobis scribendi rationem secuti sumus, nihil scilicet pro certo ac definito venditantes, quod reipsa definitum non sit; nihil contumeliose jacentes in alios, quantumvis ab opinione nostra dissentiant. Id enim ho-

mine Christiano indignum, et honesto viro indecens existimamus. Neque vero minus valide unumquemque sententiam suam tueri posse censemus, si ab aliorum contemptu et injuria absteat. »

(104. Hic lubet ad rem nostram adducere etiam canonem *Ego talis* 6, distinct. 9, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse traditur: « Alios autem (auctores) ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel abhorrent, persuadere potuerunt. » Unde ipsemet S. Augustinus circa sibi propositam quæstionem, an sit celebrandum, et communicandum jejune, in epistola 118, *Ad Januarium*, quæ exstat in tom. II editionis Lugdunensis sumptibus Joannis Radisson 1664, pag. 179, in qua cum prius cap. 6, respondens Januario dixisset: « Et liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos: nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur. » Deinde *ibidem*, cap. 7, subjungit: « Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit (N. B.) ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos afferri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. . . Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audeamus. » Quam epistolam allegans, et expendens cardinalis Bona *Rerum liturgicarum* tom. II, lib. 1, cap. 21, § 3, editionis Taurinensis 1749, ex typographia Regia, sic expresse tradit: « Quamvis enim Ecclesiæ more receptum esset, quod mysteria semper a jejunis celebrentur, nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut eo die, quo cœna Domini recolitur, post cibum afferri et accipi liceat corpus, et sanguinem Christi, tanquam in insigniorem commemorationem mysterii ab ipso post legale cœnam constituti, quibus contradicere S. Pater non audeat; » et opinio celebrandi, et communicandi post sumptum cibum in die Cœnæ Domini erat solum probabilis in concursu illius probabiliore, « sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit; » et tamen sanctus ille doctor hanc solummodo probabilem opinionem etiam in concursu illius probabiliore improbare non audeat. « Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audeamus; » et juxta adducta verba eminentissimi cardinalis Bonæ, quibus (id est sequacibus opinionis solum probabilis) contradicere S. Pater non audeat. Hinc quid de mente tanti eximii, et sancti doctoris Ecclesiæ luminis, sit ex his inferendum, satis superque patet.

Cæterum in omnibus, et per omnia, ut jam toties protestatus sum, sanctæ Romanæ Sedis certissimo, ac firmissimo judicio me submitto semperque submittam; sicuti etiam volo, et statuo; ut si quæ apostolicis, seraphicisque sanctionibus, præsertim in novissimo generali capitulo Mantuæ celebrato diebus 29 et 30 Maii anni 1763 editis, minus consona hic in apologeticis responsionibus, et in reliquo opere meo tradita reperiantur, ad earum mentem et sensum penitus revocentur, intelligantur, et retineantur.

ANIMADVERSIO IN RESPONSIONEM AUCTORIS.

Quid de propositionibus probabilismum respicientibus ab auctore ut plurimum relatis, sæpe etiam approbatis censendum sit, æqui lectores statuere per se facile poterunt, si et Romani theologi, et nostras ad illas annotationes perpenderit. Cæterum non est, cur miremur ab homine, a teneris, ut aiunt, unguiculis probabilistarum systemati addicto, habitas ut vere, ac solide probabiles, nimirum gravi et prudenti pondere rationis et auctoritatis fultas opiniones, quæ cum oppositis comparatæ probabiles nec essent, nec viderentur. Ut enim Horatius *Epistolarum* lib. 1, epist. 2, verissime scripsit:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

In auctorem tamen nostrum non cadit, quod Horatus idem *Epistolarum* lib. II, epistola 1, de quibusdam ait, perstare illos in sententia:

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit, sibi dicunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Etenim ipse, ut catholicum, et religiosum hominem decebat, « si quæ apostolicis seraphicisque sanctionibus præsertim in novissimo generali capitulo Mantuæ celebrato diebus 29 et 30 Maii anni 1762, editis (in quibus sanctionibus mandatur, et præcipitur sacre theologiæ lectoribus, aliisque omnibus, quatenus doctrinas tutiores et probabiles semper doceant, et amplectantur (ut ex decreto 3, in eo capitulo generali sess. xv habito, die 6 Junii 1762 promulgato, quod legitur verb. *Opinio probabilis*, num. 14, constat) minus consona. . . in apologeticis responsionibus, et in reliquo opere suo tradita reperirentur, ad earum mentem et sensum penitus revocari, intelligi, et retineri voluit. Qua quidem declaratione probabilismum, omnesque opiniones minus probabiles, quas vel retulit, vel docuit, vel adversus Romanum theologum defendendas suscepit, improbas ac rejecisse censendus est. Illud fortasse mirum alicui videbitur,

XENIA

Hæc ad rem.

(1. Xenia illa, seu dona, aut munera dari solita per cardinales absentes noviter promotos cubiculariiis participantibus, seu cameræ Pontificis, si contingat obitus Papæ, qui illos creavit, antequam secuta sit consi-

eamdem in hac responsione, in qua ejusmodi declarationem edidit, nihilominus protulisse testimonia Benedicti XIV et S. Augustini, quæ a probabilistis afferri solent, ut lucum imperitis faciant. Nam qui illa accurate expendit, profecto intelligit nihil inde extendi pro systemate probabilistarum posse. Etenim Benedictus XIV, in const. *Sollicita*, relinqui a Sancta Sede in suo probabilitatis gradu unamquamque opinionem de qua catholice scholæ, instituta, nationes inter se certant, dicit; fas esse opiniones minus probabiles, quæ probabilioribus ita cognitæ, atque existimatis aut docere, aut sequi non dicit; quinimo oppositum aperte docet. Vide Romani theologi not., ad verb. *CONFESSARIUS*, art. 1, num. 58. S. Augustinus autem rationes probabiles eas tantum duxit, ex quibus efficitur, ut opinio nobis probanda videatur, quales certe non sunt illæ, quæ gravioribus rationis, auctoritatisque momentis eliduntur; nec illi unquam putavit fas esse, eum de æternæ salutis negotio agitur, incertis sese opinionibus committere. » Si dubium haberet, » inquit l. 1 *De baptismo contra Donatistas*, cap. 3, n. 6, « non illic recte recipi, quod in Eccles. catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret. » Et cap. 5, num. 6: « Accipere in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum? » At enim sanctus doctor contradicere non audebat illis, qui « non certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos afferri et accipi licere corpus et sanguinem Domini » probabili ratione delectati opinabantur. Fateor. Quid igitur? Num licere opinionem minus probabilem pro libertate, abjecta opposita probabiliore pro lege, amplecti existimavit? Nihil minus. Nam qui illud opinabantur, opinione se vere probabili, non minus probabili præ probabiliore niti opinabantur: eumque casum sanctus doctor ex *illorum genere esse existimavit, quæ per loca, et regiones variarentur.* Ita cardinalis Bona, *loc. cit.* ab auctore. Confer Berti, *De theologicis disciplinis*, lib. XXI, cap. 13, in quo de sancti Augustini, in hac quæstione, sententia accurate disputat. Mitto alios, quos recensere facile possem.

* Vide *Additiones Casinenses* sub verb. *OPINIO PROBABILIS*, et secundum ibi tradita expende, quæ hic in Lucium nostrum animadversa sunt *.

gnatio birreti, munerumque receptio, dividenda sunt inter cubicularios utriusque Pontificis, nempe illius, qui illos cardinales creavit, et successoris. Si vere consignatio birreti, et munerum receptio sequantur vi-